Dissertatio inauguralis medica de purpura rubra vulgo den rothen Friesel ... / [Johann Andreas Schmid].

Contributors

Schmid, Johann Andreas, 1697-1728. Boetticher, Andreas Julius, 1672-1719. Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii: Typis Hermanni Danielis Hammii, [1718]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/d3yxg6cj

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org Q. D. B. V. DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PURPURA RUBRA

VULGO

DEN ROTHEN FRIESEL

QUAM, PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

ANDREA JULIO BÖTTICHER

MED. DOCT. EJUSDEMQUE PROF. PUBL. ORD. ARCHIATRO GUELPHICO, FACULTATIS SUAE SENIORE ET H. T. DECANO

PATRONO AC PROMOTORE SUO DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA, PRIVILEGIA QUE DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICIET

IN JULEO MAJORI AD DIEM I. IULII ANNI MDCCXVIII.

IOANNES ANDREAS SCHMIDT

HELMSTADIENSIS.

HELMSTADII,
TYPIS HERMANNI DANIELIS HAMMII, ACAD. TYPOGR.

4 17/18 Scenth

VIRO

ILLUSTRI, MAGNIFICO, EXCELLEN-TISSIMO ATQUE EXPERIEN-TISSIMO DOMINO

DOMINO

GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO

HAEREDITARIO IN EMWARGA
MEDICINAE DOCTORI, COMITI
PALATINO CAESAREO, SACRAE CAESAR.
ET CATHOL. MAIEST.

SERENISSIMORUM SAXONIAE DUCUM CONSILIARIO, VINARIENSI AULICO, ET ARCHIATRO, THEORETICES PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, FACULTATIS MEDICAE SENIORI

PATRONO AC PRAECEPTORI

OMNI HONORIS PIETATISQUE CULTU AD CINERES DEVENERANDO

OB INNUMERA BENEFICIA IN SE COLLATA
DEVOTUM GRATUMQUE ANIMUM UT TESTARETUR
HANCCE DISSERTATIONEM

SACRAM ESSE VOLUIT.

I. A. S C H M I D T.



is present according one potents, quem endemior

Southern and all through the

Uamvis medicina per insigne temporis intervallum sit exculta, nec ab omni aevo defuerint viri ingenio & doctrina praestantes, qui, collatis inter se observationibus, indefessam industriam omneque studium in ca adornanda ulteriusque provehenda collocaverint, ideoque, si non omnium, plerorumque tamen morborum typus atque indoles videatur per repetitas eorundem observationes esse detecta: inficias tamen iri non poterit, epidemicorum historiam nondum satis esse absolutam. Praeterquam enim, quod immensa eorundem multitudo, diversaque, quam referunt, forma, non levem in observando singulorum genio difficultatem pariat; felicem quoque observationum cursum impedit maxime, quod non in omnibus locis, omnique anni tempore, eundem morem servent obtineantque epidemii morbi, ipsis scilicet, pro variis aeris qualitatibus, constitutionum sive temperamentorum varietate, plurimum ratione symptomatum variantibus. Quin novis subinde emergentibus febribus diligenter

genter primo illorum ingenium atque morem observare; nec ad magna praesertim remedia non nisi suspenso pede ac tardius procedere debeant medici, ut impessibile fere sit, generales regulas febribus eiusmodi debellandis accommodare, & certos alignos limites figere, quos ultra progredi, aut in iis subsistere non liceat, sed qua methodo currente anno aegrotos liberaveris, eadem ipsa vertente anno forsitan e medio tolles. (a) Quae cum ita sint, medicis sane nihil prius aut antiquius esse poterit, quam epidemiorum subinde grassantium mores & genium probe attendere, &, collatis inter se epidemicis constitutionibus, certam magis medendi methodum mature Atque hocipsum me permovit, ut dissertationis argumentum PVR PVRAM eligerem, utpote quae in praeterito anno, tam aliis morbis se iungendo, funestis symptomatibus plures e medio tulit, quam sola etiam epidemice furens, apud nos pluribusque aliis in locis pervagata est, maxime tamen puerili frequens & infesta aetati.

S. I.

Quemadmodum autem prae reliquis anni temporibus autumnus morborum magis fertilis esse, eique accidere solent morbi acutissimi (b) & sunestissimi; sic praeterito adhuc anno huius assertionis veritatem confirmatam vidimus. Circa autumnalis scilicet aequinoctii tempus frequens magis visa purpura, pariter & contagiosa reddita, ita ut domum ingressa, vix quemquam, praeprimis ex iunioribus, in eadem a labe

fua

⁽a) conf. Sydenham in Opusc. Sect. I. cap. 2. (6) vid. Hipp. Lib. III.aph. 9. 5.5.

sua immunem reliquerit. Appropinquante autem hyemali solstitio furor eius sensim atque sensim deferbuit, ac tandem plane fuit mitigatus; succedentibus eius in locum variolis, iisque benignis satis & discretis, quae tamen mox a morbillis iterum, licet & hi iam ante variolis intermixti essent, longe superabantur. Circa vernale autem huius anni aequinoctium, deletis fere variolis, morbilli frequentiores, non aeque tamen benigni sunt observati omnes. Interim tamen observatione dignum, quod ab insigni observatum memini medico, plerosque, qui purpura laboraverant, a variolis & morbillis immunes & intactos Non omnibus tamen idem fuisse fatum, remansisse. acta Berolinensia (a) nosmet docent, morbosis hisce exanthematibus sibi invicem succedere visis.

J. II.

Purpuratae autem huius febris initia fere eadem erant cum reliquis febribus exanthematicis, maxime petechialibus & catarrhalibus; nisi quod de tussi, dorsique doloribus, non aeque ac variolisantes, conquererentur, nec lachrymabundi oculi, nec instatae palpebrae, ut in morbillis observavimus, conspicerentur: de ossistrago etiam artuum dolore, minus quam petechisantes conquerebantur, sed gravativus magis & cum ponderis sensu mixtus erat, qui corpora lassabat dolor. De caetero levis primo horror invadebat aegros, cum insigni virium prostratione, appetituque plane prostrato & insigni vitalium atque animalium A 3

functionum laesione. Horrorem statim subsequens aestus in principio & de die mitis admodum, circa vesperam auctus & vehemens satis, anxietates, agrypnias, leviaque inducebat deliria. Fauces utplurimum inslammatione simul corripiebantur & alvus erat dissicilis, ipsaque urina parcius sluebat. In multis primo statim die vomitus omnium assumtorum observabatur, qui, si fortis admodum & liberalis erat, intra primum nycthemeri spatium cessabat rursus, sin minus vehemens ad tertium quartumque continuans diem aegros maxime debilitabat. Tenerioris delicataeque constitutionis infantes epilepticis insultibus primo eruptionis tempore correptos vidimus.

g. III.

Quamprimum autem purpureus in cute color apparebat, mitescere statim & remittere magis videbantur symptomata. Criticus quasi dies in omnibus quartus vel quintus suit, quo per universum corpus, maxime vero in facie, rubedo apparere incipiebat, cum aliquali in nonnullis manuum & faciei intumescentia. In principio maculis magis distinctus cernebatur coccineus hic cutis color, ex papulis scilicet conicae sigurae, ad tactum duriusculis, cutisque hinc superficie aspera magis reddita & inaequali, constatus. Atque ut nihil eorum, quae circa historiam huius morbi observata sunt, omittamus, rubicundis hisce papulis aliae pallidi magis coloris & albicantis in quibusdam intersertae conspiciebantur, certiore malignitatis signo. Mox autem & subsequente statim die consuere magis &

complanata papularum figura in unam magis & aequalem superficiem abire ducique videbantur, toto corporis fere habitu, maxime vero facie rubicunda coccineique coloris apparente, als ein gefochter Rrebs. Septimo a die intensior illa rubedo sensim imminuebatur, & octavo, in squammulas albicantes conversa omnis fere disparebat rursus, totaque sic desquammata cuticula, pristinus color & nitor cutis redibat.

G. IV.

Congeriem hanc symptomatum ad nullum alium morbum, quam purpuram, cui febris plus minus maligna iungebatur, referendam esse aptam, ea, quae recensuimus, abunde docent. Purpurae enim praesentiam quis negaret? cum eius testes sensus incurrant, exanthemata nempe ista rubra, papularum sub nomine a nobis descripta ac postea confluentia. Horror autem, subsequentibus calore, virium prostratione ac reliquis, supra longa serie a nobis enarratis, de eo, quod febris maligna aegrum una afflixerit, nos non sinit dubitare.

6. V.

Hancitaque cum dissertationis nostrae obiectum declaraverimus, neminem amplius sugere poterit, nobis purpurae voce non venire illam conchyliorum speciem, quae hoc nomine insignitur, nec succum ex hisce animalibus expressum, qui tincturis inservit, multo minus vestem regiam vel senatoriam purpureo humore imbutam, ac nonnulla alia, in quorum recensione ac collectione desudavit, qui etiam de origine vocis

vocis purpurae consuli poterit FABIVS COLVMNA in opusculo de purpura. (a) Remotas enim hasce volumus significationes, cum per purpuram nihil aliud intelligamus, quam infectum cutis, quo, facta specialis sanguinis inquinamenti sive miasmatis subtilis excretione ad corporis peripheriam, eadem coccineo tingitur colore, subsequente totius cuticulæ desquammatione, cum febre utplurimum continua, acuta, plus minus maligna coniuncta.

Cuius autem indolis sit illud miasma, arduum magis dictuest & difficile. In sanguine id ipsum latitare, & ab eodem ad corporis peripheriam duci deponique omni caret dubio: forsan minus erravero, si tenues magis & salinas in massa sanguinea abundantes particulas hic sequestrari dixerim. Quemadmodum enim, ut GVALTERVS CHARLETON (b) loquitur: cuiusque fermenti virtus & energia, praecipue, sinon unice debetur spirituosis illis, tumultuosoque & exerto motu ferventibus particulis, ex quibus moles ipsius, utcunque exigua, maximam partem conflatur; talesque ex mixtorum soluto, sulphure saleque ad summum siuxilitatis apicem deducto, quame caeteris ea constituentibus principiis copiosus multo emergere notum est. Sic macularum quoque scorbuticarum in cute variegatum colorem a sanguinis salsugine haud immerito repetit PECHLINVS: (c) ipso insuper illo pruritu Salis praesentiam confirmante. Maxime tamen eandem evinci putem ex ipsa corporum

⁽a) cap. I. p. 6. segq. (b) lib. de scorbut. p. 53. (c) observat. Lib. I. obs. 67.

rum morbo huic magis obnoxiorum constitutione. Sic enim Stahlius (a) mediatam ejusmodi macularum causam vocat cacochymiam scorbuticam bilioso sanguineam. Et sane scorbutum chronica sua infestatione haud multo absimilia exanthemata, purpureasque maculas nostris sere similes producere, notissimum est practicis, quo illa schuchmanni observatio (b) & purpuracea excretio, anigero ab Uratislaviensibus medicis dicta, (c) pertinere videntur. Inprimis autem cholerico-sanguineis corporibus, & pueris magis, quam virginibus, ipsam hanc epidemice apud nos infestam suisse, plurimumque illos prae his laborasse a Magnissico Domino Præside est observatum.

J. VII.

Quo autem melius de ipso hoc purpurae fermento constet nobis, cutis haec efflorescentia quo modo ab aliis exanthematibus differat, ostendendum jam foret. Verum rectius ipsius primo purpurae, quibus eadem distingui solet, differentias considerabimus. Differentia autem hic primo desumitur a colore & externa ipsarum papularum facie. Non enim semper exanthemata affectus nostri purpureo colore superbiunt, sed interdum pellucentes quoque occurrunt, unde nota in medicorum scholis orta est distinctio purpuram inter albam atque rubram, quarum illa ut plurimum aliis morbis, ac haud raro ipsis rubris estlorescentiis, observante id Cl. CHRISTIANO IOANNE

⁽a) Disp. ide Febr. petech. (b) act. N. C. Dec. II. An. 1. p. 119.

LANGIO, (a) tali modo adjungitur, ut illis quasi insidere videatur. Qualem epidemica anni MDCC constitutio, testantibus maxime medicis Uratislaviensibus, nobis exhibuit. (b) Secundam porro purpurae differentiam constituit invasionis modus, dum alia cum febre, alia sine febre invadere solet: illum epidemica praesertim in more positum habere videtur: hic illi scorbuticae, ab Illustri atque Magnifico GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO Patrono atque Praeceptore meo ad cineres colendo, vocatae, (c) solennis est magis, ut, ETTMVLLERO teste, (d) purpura rubra in plethoricis & scorbuticis, nec non aliis morbis cum multo sudore & quovis alio tempore sine omni febre & symptomatis excepto pruritu molesto frequentius Denique ob symptomatum vehemenobservetur. tiam, morbique magnitudinem, in benignam & malignam haud immerito distinguitur.

6. VIII.

Cum autem plura cutis exanthemata purpurae nomine vulgo infigniantur, quorum nonnulla cum vera hac purpura plane non conveniunt, nonnulla autem, sub aliis quamvis descripta nominibus, insigniter cum illa conveniunt, ascopo nostro minus alienum putavimus, de praecipuis hic agere brevibus. Sic iam aburppo-CRATE in epidemicis & a GALENO passim macularum purpurearum papularumque culicum & pulicum morsibus similium observatarum facta est mentio, referrans, object uniond CL current

⁽a) oper. part II, pag. 96. (b) conf. Act. N. C. D. 3. Ann. 9. & 10. App. p. 17 (c) vid. Act. N. C. D. L. Ann. 9. & 10. ob 21.conf, Pechlin, lib, 1. obs, 68. (d) cap, de febre purpurata,

quæ tamen rectius ad morbillos & petechias, quam ad purpuram spectare videntur; nisi forsan cum PE-CHLINO (a) illud in coacis pranotionibus (b) de nostra quis purpura intellectum velit: quibus salsa sputa cum tussi subsistant, iis corpus velut efflorescentibus pustulis rubescit, ante obitum vero exasperatur. Ipsae autem petechiae, quamvis sub purpurae nomine a Neucrantzio & aliis pluribus describantur, distinctus tamen, & longe alius a nostra purpura est morbus. Petechiae sane maioris utplurimum malignitatis sunt indices, cum plerumque purpura rubra malignitatis omnis expers sit, & cum petechiarum exitus, teste GVA-RINONIO, (c) parum aut nibil auxilii in morbis afferre soleat, purpura autem erumpente remittere observavimus pleraque symptomata. Taceo colorem, ambitum & aequalem cum cute superficiem, tum quod in dorso & pectore frequentius magis sint petechiae, no l'aeque in facie; uti in purpurata hac febre observavimus; ne dicam de incerto, quo erumpere solent petechiae, die. Solae illae in declinatione purpurae concrescentes squammulae binos ab invicem morbos distinguunt satis.

(). IX.

Neque in omnibus Mortono subscribimus, qui febrem scarlatinam, morbum cum nostra purpura sere similem, & eundem ad morbillos referendum arbitratur, non sine magna exanthematum confusione. Utut enim febris illa, utrique horum iuncta, non mul-

⁽a) lib. 2. obs. 19. p. 250. (b) Sect. 2. p. 157. (c) cons. med. cons. XIV. p. 238.

multum ab invicem differat, indeque eandem curationem uterque quodammodo admittat morbus, haud tamen illud sufficiet satis, quo morbillis purpuram annumeres. Nec efflorescentiae solum modo differunt inter se purpura & morbilli; sed ratione causarum disparitatem intercedere vel inde colligere licet, quod universalis magis sit morbus, morbilli, qui, si non omnes, plerosque tamen mortalium semel de vita, raroque pluries, invadere solent: purpura e contrario, nisi epidemice grassetur, paucissimis familiaris, recidivans tamen & quotannis imo frequentius revertitur: (a) quin in diversis locis endemia eadem existit magis. Nec minor prognosis ratione, utramque intercedentis, diversitas observatur: ex quibus omnibus diversos distinctosque morbos purpuram & morbillos esse, satis est manifestum.

J. X.

Purpuram cum febre scarlatina fere convenire, eundemque esse morbum dum asserimus, adversantem inter alios plures nanciscimur virum doctissimum C. J. LANGIVM, (b) qui, cum febrem scarlatinam a purpura plane alium morbum esse existimet, talia profert: Alia est febris scarlatina, cujus mentionem facit Sibbaldus in prodromo bistoriae naturalis Scotiae, & Morton, ubi tota cutis scarlatino seu rubicundo colore pingitur: non adfunt estorescentiae miliisormes, sed erysipelas, quod infantibus 1697. & anni 1695. satis mahignas observavi. Verum enimvero uti erysipelato-

⁽a) conf. M. N. C. German, D. 3. An. 3. obs. 102. (b) l. c. pag. 96. not. c.

sam febrem ipse sydenhamivs (a) a scarlatina distinguit, sic nec cum illo cutis erysipelate, ab Avicenna (b) descripto, satisconvenit. Quando autem in memoriam revocamus ea, quae superius jam a nobis funt allata, scilicet in cute primitus tantum papulas apparuisse, has vero successu temporis coaluise ac ex pluribus conicis eminentiis pleraque loca, in quibus apparebant, aequaliter subtumida fuisse reddita, ideoque erysipelatis quasi faciem prae se tulisse dubitarecoepi, an distincti sint satis morbi purpura & febris scarlatina, an non potius gradu solum differant', seu quoad magis & minus. Sic MORTONVS (c) unico illo criterio purpuram dignosci dicit, nam non una continuata inflammatione sive rubedine, uti in febre scarlatina, perfunditur cuticula. Proinde & purpurae speciem sebrem scarlatinam vocare placuit PECHLINO. (d) Magis autem attenta morbi ipsius eiusque temporum consideratio nostram confirmare videtur opinionem, cum, quae distinctae in principio erant papulae, mox altero die confluentes rubedine cutem inficiebant omnem. Cum nostris autem aliorum pleraeque conveniunt observationes, quae in ephemeridibus academiae naturae curiosorum (e) de purpura agunt, & eam epidemicam fuisse testantur. Forsan itaque simili ratione uti variolae discretae a confluentibus, sic & hi ab invicem different morbi. Evidentius autem discrimen inter

⁽a) l. c. sect. VI. cap. 6. p. 268. seq. (b) tract. de febb. inflammat. lib. 4. sen. 3. tr. 1. cap. 4. (c univers. cap 3.p. 15. (d) lib. 11. obs. 19 (e) dec. I. ann. 6. & 7. p. 202. & dec. III. ann. 4. p. 126. & ap., 10 p. 16.

eosdem & albam purpuram, quam & miliarem febrem vocant, sponte agnoscimus. conna (b) deteriped factix on, genic Quanti

Suspensos magis nos tenet illud exanthematum genus, quod sub rubeolae nomine ab Haly abbate descriptum, vulgo Rothel appellari solet; affinis quidem huic nostro quodammodo videtur, magis tamen cum alba purpura convenire TILINGII nos docet observatio, (a) qui praeter illum ruborem, ex coeuntibus rubeolis oriundum, parva induci dicit exanthemata, granum milii aequantia, plena ichore quodam albo, pellucido, non valde tamen dolentia, a collo usque ad genua. Horum autem nec ab Uratislaviensibus medicis, (b) nec a Pechlino facta mentio. Et cum terroris plenae, exitusque incerti, a prioribus eaedem dicantur, hic pro leviusculo morbo reputat, utut eaedem epidemice grassare, & nullo babito sexus aetatisque discrimine promiscue omnes inprincipio erant papul.HX mer altero die confir

Porro affinis nostro morbo ille est affectus, qui rosalia appellatur, cuius descriptionem legimus in historia morborum, qui anno 1699. & binis sequentibus annis Uratislaviae sunt grassati. (c) Invasit ille affectus aegros cum febri satis vehemente, capitis dolore & aliis, quibus maculae iungebantur dilute rubentes, flammeae, rosarum instar, tertio quartove die, morbillorum fere ritu, prorumpentes, ac morod(a) 12 c, feet. VI can 6 p. 268

⁽a) lib. de feb. petech. p. 60. (b) Act. Uradislau, an. 1699. p., 18. (c) ibid. p. 185. feq.

bo ad anun perveniente, universum corporis habitum perfundentes rubore, qui tamen septimo die evanescit, post se relinquens maculas instar petechiarum, cute simul aspera evadente. Aemulatur hic assectus in eo purpuram, quia integrae cuti roseum colorem conciliat, a qua tamen idem, sub ipsius declinationem, distinctis rursus apparentibus illis maculis distinguendus iterum videtur. An autem rubores sive graecorum equoseuara (a) eundem cum hoc morbo constituant assectum, an morbillis (b) rectius annumerentur, in praesenti inquirere non vacat, cum iam olim de nominum consusione sint conquesti medici. (c)

S. XIII. In sugges 35 suit

Sed de differentiis, quantum ad praesens negotium spectat, satis dictum esse puto. Ad causas
vero epidemicorum morborum dum progredior, illorum quidem sententiam meam non sacio, qui omnium morborum originem ex naturalibus causis
deduci posse autumant, & hanc ob rem 76 0000 plane excludunt; sed & illud hominis imprudentis esse
iudico, in hoc semper persistere velle, cum aliae rationes proximiores sufficiant. Quapropter medio
loco incedens, causas morborum a naturalibus causis tamdiu repetere & eousque quaerendas esse arbitror, donec manifeste appareat sublimius quid his
morbis inesse. Epidemicorum sane morborum cau-

⁽a) conf. Tiling. de febr. petech. p. 17. (b) vid Castel. lexic, Dolaeus in encyclop. med. cap. de morbil. Zwingerus in theatr. prax. med. (c) conf. Forest, observat, l.b. VI. obs. 41. in scholis.

sa ab aeris constitutione, ipsaque eiusdem aequali aut inaequali, secundum anni tempora, mutatione plurimum dependet. Quae enim de coniunctionibus & oppositionibus quorundam planetarum 10AN-NES GOADVS, (a) pro excitandis epidemicis morbis, affert, aut Sydenham de abdita & secreta alteratione in terrae visceribus facta & athmosphaeram omnem pervadente refert, utpote fide & experientia nondum satis probata, in praesenti attingere non vacat. Potius aeris ipsius in nostra corpora vim & evegyeias considerabimus: quo enim huius maior & communis ad vitam necessitas, illeque non solum corpora nostra ambiat, sed in vitalia recipiatur viscera, eo propius & corpus idem afficiet nostrum. Quantum itaque serenus aer ad sanitatem conservandam confert, tantum impurus, vapidus, multis humiditatibus, vel alio modo, inquinatus, nec non subito ex calido in frigidum, humido in siccum, & vice versa mutatus, ad eandem destruendam facit. Atque haec ita esse in propatulo est, modo ad ipsam transpirationem insensibilem, & quam pro varia sui qualitate, humorum massae infert alterationem, respiciatur.

J. XIV.

Tanta profecto aeris in corpora vis est & impetus tantus, ut mortalibus sanitatis & morborum aegrotis causam eundem esse iam olim dixerit HIPPOCKA-TES. (b) Quemadmodum autem hoc morbi ipsi, secundum anni tempora incidentes, certoque magis tem-

⁽a) astrometeorolog. sanae pag. 126. seqq. (b) lib. de flatib.

tempore prae aliis frequentes, praeclare ostendunt, sic ulterius idem confirmari videmus, quando constantibus anni partibus, si tempestates convenienter succedant, bene moratos, facilis ac secundi iudicii incidere morbos, incertis vero & male constitutis temporibus, adversi difficilisque iudicii incidere morbos, observamus. (a) Maxime inconstans aeris constitutio, & frequens ipsius subitaque mutatio corporibus nocet; praesertim si ab humido pluviosoque aere corpora prius debilitata sunt, facile contraria subsequens aeris intemperies varias motuum anomalias inducit. Praeterquam enim quod humidus aer morbosum in corpore apparatum auget, solidarum quoque partium tonum destruit, quo minus relaxatae eorundem fibrae fluidorum motui & impetui debite resistere valeant; horum autem motui sic sufflaminato, debilique hinc reddito magis, ipsi humores vitium quoque capesfant necesse est.

S. XV.

Proximum iam erit, ut, qualis nostri aeris in praecedente anno suerit constitutio, tum quomodo ad producendam purpuram hic suum etiam contulerit symbolum, ostendam. Inaequalis autem per totius anni decursum extitit aeris temperies, per crebras quippe subitasque mutationes inconstans satis suit ipsius constitutio. Hyemalibus scilicet in mensibus frigida ac tepida aeris temperies perpetua vicissitudine se mutuo excipiebant, & quidem tam crebro, ut vix pauci dies sine insigni eius mutatione praeserale.

CILIE

⁽²⁾ aph. 8. fect. 3.

terlaberentur. De immodica frigoris vehementia non erat conquerendum, quin, si quosdam excipias dies, qui acriore magis frigore molesti erant, tole-rabilis & mitis hyemis nomen mereatur. Verum nimbosa erat & nebulas frequentius fovebat, ipseque aer crassior mox in pluvias solvebatur, mox vero glomerata turbine nivis densatus magis conspiciebatur, imo una saepius dies, modo serenis nubibus distinctam, modo in pluvias solutam, humidam nebulosi aeris auram, nobis subito largiebatur. Veris initium & sol iterum ad nos accelerans, mitiorem quidem coeli auram spondere videbantur, ast nihilominus constante non gaudebamus aeris serenitate: splendidos enim dies repente turbida ventis & pluviis molesta interrumpebat tempestas. Sub finem autem mensis Maii in siccam magis convertebatur aer intemperiem, ac nubibus non velatus Phoebus lucidis terram recreabat diebus: mox vero circa solstitiale tempus gelu incidebat insolitum, comitantibus id noctibus frigidis. Aestas demum subsequens fervore quidem non destituebatur, quoad primam tamen ipsius partem humida potissimum existebat, nimboso nempe aere in frequentes pluvias relaxato, sed in altera ejus parte squalore ac siccitate satis superque erat praedita. Post autumnale dein aequinoctium nebulosus cum intermixta pluvia redibat ac nostra corpora defatigabat aeris intemperies, mutatus vero postea in clariorem purioremque, pristinum robur corpori animoque rursus conciliabatur. Mensis tandem Novembris frigidam humidae iunctam iterum nobis attulit intemperiem. XVI.

S. XVI.

Nec, si observationes evolvimus, absimiles valde aeris constitutiones in illis fuisse deprehendimus annis, quibus vel maxime frequens & epidemica observata est purpura. Inaequalis scilicet fere in omnibus aeris intemperies: sub ipsis autem frequentibus illis aeris vicissitudinibus in varios turgescentiae gradus humores assurgunt, & fluidorum solidorumque motus intercedens harmonica proportio interrupta redditur & inaequalis evadit; unde faecum & morboseminii fertilis proventus. Frequens illa pluvia nimbosusque aer primum hic contulisse videtur symbolum; intermixtus autem & subsequens aeris aestus foetum illum purpureum produxit. Maiori scilicet humoribus iam inducto motu, cumulatae sub prioris aeris intemperie, impuritates attenuantur, & motu hoc varie modificatae, una cum reliqua humorum massa, ad excretoria organa, cutisque poros frequenti appulsu adiguntur. Horum autem motui, dum relaxatae cutaneae fibrae minus resistere valent, sub copiosis sudoribus ipsae simul rubicundiores sanguinis particulae eo delatae, & inter cuticulam & cutem subsistentes, dicta corpus rubedine inficiunt. Limitaneus enim, ut Ill. VVEDELII verbis (a) utar, terminus sanguinis cutis est, littoralene eius motum sustinens; quid itaque mirum ad littus bic evomi, quicquid spumosarum sordium liquori vitali nuptum est.

C 2

S. XVII.

⁽a) Mifc. N. C. G. Dec. 1, an. 9, & 10. obf. 21.

S. XVII.

Externae autem illae morborum causae omnes co promtius in corpora agunt, eademque afficiunt gravius, quo magis disposita ad eiusmodi morbum inveniunt corpora. Uti enim naturarum aliae ad aestatem, aliae ad byemem bene vel male sunt constitutae, (a) ita semper praevia & latens in corpore ad morbos dispositio requiri videtur, qua desiciente inanis utplurimum causarum illa externarum actio; unde non mirum, plures ab ipsis epidemicis morbis immunes remanere & a contagii virulentia intactos evadere. Nostro itaque morbo obnoxii magis deprehenduntur iuniores, delicatuli, otiosi, plenoque victu gaudentes, maxime autem si cacochymia scorbutica bilioso sanguineo temperamento accesserit. Plenior ille victus & otiosa vita primus fere ad cachexiam gradus, quem fibrarum accedens laxitas plurimum auget. In motum autem iusto violentiorem si eiusmodi humores, a causa externa agitati, abripiantur, quid mirum? si excretiones eiusmodi anomalae contingant, ipso simul organorum tono ob sibrarum laxitatem remissiore magis existente & invalido. Atque haec ipsa infantilium corporum mollities forsan causa existit, quod frequentius prae adultis ab epidemica hac nostra purpura sint affecti. Quantum autem ad illam inducendam scorbutica conferat cachexia, ipsa illa exanthemata, quibus per aestatem eorundem corpora frequentius defoedantur, insigniter ostendunt: ut non incommode inter aestivos ab HIPPOCRATE (b) quo-

que

⁽a) aph. 2. Scet. 3. (b) aph. 21. Sect. 3.

que numerentur và voçua, sive ut Heurnius vertit, miliares pustulae, quas a scorbutica sanguinis salsugine, ut Pechlinus loquitur, aut iuxta celeberrimum VVEDELIVM ab rarioris texturae sanguine, salibus acidis nimis deturpato, fluxiliorique binc reddito oboriri nullum est dubium.

6. XVIII.

Transeundum denique nunc foret ad reliquas causarum classes, quas rerum non naturalium examen plures nobis exhibet; verum cum pleni de his fint practicantium libri ad symptomatum potius considerationem nosmet convertimus. Quorum primum constituit vomitus, in principio morbi frequens. Equidem hic & aliis exanthematicis morbis & febribus fere omnis generis iungi solet, cumulatis scilicet circa primas vias cruditatibus', quæ sub illo humorum orgasmo turgere simul incipiunt & ventriculo esse molesta. Verum quod ipse vomitus hic fere frequens magis & vehemens in principio purpurae, quam in variolis & morbillis comparuerit, duplici potissimum causae deberi videtur; siquidem huc spectat orgasmus, qui cum in omnibus vasis sanguiferis observabatur, tum quoque ad gastrica derivatus symbolum suum ad convellendas titillandasque fibrillas nerveas contulit. Nec excludenda erunt salia acria, cum liquore gastrico ad ventriculum delata, quae ibi tunicam nerveam irritando adhuc magis ventriculum incitant ad motum peristalticum invertendum. Quo magis vero acriora ac frequentiora ista salia existebant, eo facilius & felicius negotium

tium succedebat: hinc in nonnullis intra viginti quatuor horas conatus vomendi, sufficiente sacta eliminatione, sistebatur, In aliis e contra subiectis ista non tanta copia deprehendebantur, vel non libera satis erant, unde non mirandum erit, desiciente stimulo eiusmodi aegris hocce symptoma ad tertium imo quartum usque diem suise molestum.

g. XIX.

Par fuit reliquorum symptomatum ratio: illa enim non æquali semper vehementia morbum atrociorem reddebant, sed, prout subiecta his vel illis temperamentis erant praedita, vario quoque furoris gradu in eadem saeviebant. Constat quippe istos mitiorem expertos fuisse morbum, qui sanguineo temperamento gaudebant, prae istis, qui cholericis erant annumerandi, agiliorique corporis habitu pollebant, cuius causam in promtu esse existimo. Constat nempe ex physiologicis, sanguinem cholericorum abundare particulis mobilioribus, salinis, volatilibus, oleosis. Hae autem non tantum ad orgasmum talem concipiendum, sed etiam sovendum promovendumque sunt apriores; & cum praeterea volatiles illae partes facilius queant dissipari, non aliter fieri poterat, quin relictis fixioribus, graviora inde consurgerent symptomata. In sanguineis vero oseosarum & serosarum partium temperatione sanguis gaudet, & motu satis vivido, sed blando per viscera divagatur: hinc ad peregrinum eiusmodi, qualis in nostro morbo observatur, motum quidem se disponi patitur, sed hic in iis non tantopere massam sanguineam excitat, quantopere in cholericis id contingit, 6. XX. orine augeri eardem cexxmit & allata quali per ile

Ex eodem fere fundamento deducenda erit caufa, cur prae virginibus pueruli huic morbo fuerint obnoxii magis. Non enim nifi rarius deprehendes infantem foeminini fexus ad cholericum temperamentum
dispositum, cum frequentissima occurrant marium
exempla, in quibus haecce temperatura notatur. Accedit adhuc illud, a virginibus, quae pubertatis annos attigerunt, ope fluxus menstrui insignem humorum copiam excerni; ideoque cum illo haud parum
miasmatis, antequam massam fanguineam corrumpere possit, corpore excludi, illiusque, quod remanet, vires tantopere infringi ac imminui, ut non amplius valeat tumultus in sanguine excitare.

option XXI san fod stor same and

Diagnostica denique purpurae signa cum ex superioribus facile peti possint, illorum saltem hic
facienda mentio, ex quibus illa scorbutica benigna &
sine sebre dignoscatur. Externa autem eius sacies &
color a reliquis scorbuto familiaribus exanthematibus
eandem satis distinguit. Papulas miliares rubicundissimi coloris per cutem dispersas notamus, quæ in
unam demum consluentes supersiciem, partibus insignem rubedinem inducunt, tandemque cum ipsius
cuticulae desquammatione disparent, mox iterum a
leui accedente causa rediturae. Eruptio earundem
cum insigni cutis ardore & pruritu frequenti, phlogosi, & copiosis stipatur sudoribus: & tantum abest,
ut sub quotidianis illis sudoribus, & in tam sæcunda
corporis transpiratione evanescant illae papulae, ut
potius

potius augeri easdem cernamus, & allata quasi per illos sudores nova materia, morbus innovari videatur. Forsan ipsa illa salia scorbutica massam humorum dissolvendo, & postmodum ad organa secretoria delata, horum fibras stimulando, diapnosin augent & sudore copioso ut diffluant magis corpora efficiunt. In inveterato enim & habituali quasi reddito malo, maior salium copia, quae cum ipsius aeris forsan endemii & solitae diaetae vitio indies augetur, rebellem magis & curatu difficilem reddit morbum, Nova autem sic sero involuta salium spicula dum ad cutis adiguntur spiracula, recidivam pariunt, dum conica, ut PECHLINVS loquitur (a) salis scorbutici acumina subtilitate sua cutem quidem extollere, sed ob basin latiorem pervadere non possunt sanguini redonanda; Ubi & boc notabile, cum a salsuginis illa in cutem redundantia sanguinem defaecari verosimile sit, tamen plurimis a frigore melius ese, ubi ad sanguinem repellitur salsugo.

S. XXII.

Purpura itaque ita considerata, plus molestiae quam periculi inferre videtur, sinistra tamen accedente medicatione plurima incommoda sapius inducit, imo quibusdam lethalis evadit. Epidemica sive aliis iuncta, aut superveniens morbis, praesertim vero alba, periculo non vacat & pro symptomatum ratione grave satis est malum; praeterquam enim quod sola febris plures iugulet, internarum quoque partium inflammationes simul iunctae & eandem subsequentes plerisque existunt lethales. Raro evadunt,

quos

⁽a) lib. I, obl. 67.

quos cum epilepticis insultibus, comate, delirio, aut agrypnia adoritur mali atrocitas; praesertim, si prorumpentibus quamvis papulis, nulla symptomatum contingat mitigatio. Vomitus in principio contingens virium prostrationem licet inferat, magis tamen salutaris est, quam diarrhoea, quae circa eruptionis tempus incidens saepius funesta existit: nec dissimilis, haemorrhagiae, aliarumque excretionum, humorum versus corporis peripheriam impedientium motum, erit ratio. Sanguineos minus assici aut laborare prae cholericis supra iam est notatum. Quo magis praeterea a naturali colore recedit, aut dessectit purpura, eo semper malum est gravius, iusto autem citius disparens, aut retropulsa lethalia saepius accersit symptomata.

6. XXIII.

Ad therapeuticam autem huius morbi considerationem tandem progressuri, necessum duximus, ut ex praemissa in superioribus ipsius ethymologia emergentes curatorias indicationes paucis quoque ostendamus. In genere quidem morbosi miasmatis correctio pariter & exclusio indicatur; in specie autem cum purpura haec epidemica individuum fere comitem habeat febrem, ad illam dirigenda erit curatio: ita tamen moderanda sunt haec naturae molimina, ne in esferos nimis motus erumpant; ad ipsam tamen quam natura hic intendit secretionem sufficiant; facta autem hac secretione & apparente iam purpura, eius eruptio debite promovenda: symptomatum denique habenda simul ratio, ne vires aegrotantium ni-

D

mis

mis consumendo, aut dissicilem reddendo ipsius purpurae eruptionem, inanem reddant medici opem. Ex morbo autem postquam convaluit aeger, ut a recidiva immunis servetur, omni annitendum est studio.

6. XXIV.

Quae autem primae indicationi satisfaciunt medicamenta non unius modi sunt, sed pro diversa humorariae massae crasi & indole varia & diversa; modo acidiuscula, modo terrea magis & alcalina convenient, quae ita recte distinguere prudentis erit. illi iam pulveres terrei & testacei absorbentes ex matre perlar.. conch. praepar. Corn. cerv. oc. cancr. corall. ant. diaph. pulv. bez. Senn. cordial. Doncrel. &c. omnem fere paginam absolvunt, quibus si maior humorum orgasmus urgeat, nitri particula iungi poterit. Ex acidis illa mitiora; uti, succ. citr. aqua prophylact. Sylv.tinct.aquileg.bellid.&c.commodis permiscenda aquis, aliis multis praeserenda censemus. Atque dum horum usui insistimus, ad blandam simul diapnoen disponenda erunt aegrotantium corpora. Hæc uti continuata quamplurimum ad felicem curationem confert, ita coacta nimis & aucta nocet quam maxime. Accelerata nimis, a calido aegrotantium regimine exanthematum eruptio & in hac & in omnibus fere reliquis febribus exanthematicis periculosa est, imo utplurimum funesta.

g. xxv.

Pro nimio illo humorum orgasmo compescendo, edomendaque febris ferocia, solent etiam plethori-

cis venam secare medici, cum in febribus ardentibus, tum in aliis exanthematicis. An in nostro hoc morbo & imminente purpura idem imitari liceat, egomet cum Sydenhamio dubitarem: nisi forte in primo morbi initio, plethorico magis existente aegro & consueta quadam sanguinis evacuatione suppressa, indeque aucto sanguinis orgasmo. Quo spectatillud famigeratissimi VVEDELII: (a) obstare videtur venae sectionis usui, quod mulieres sua natura admodum debiles videantur, & puerperas, praesertim primiparas, non nunquam a partus gravissimis laboribus magnam virium suarum jacturam facere, satis constet: verum si adsit plethera & stagnatio lochiorum subsistentium, inflammatio uteri, vires non penitus sint amissae & reliqua alia consentiant, alia non sufficiant, malignitatis solicitudo absit, omnino ad venae sectionem, tanquam ad sacram anchoram, cum decenti prudentia confugiendum est. In aliis vero casibus, quos in usus cederet venae sectio? cum potius correctio miasmatis morbosi hic indicetur; itaque si primo morbi tempore neglecta sit, rectius ab illa abstinetur, utpote cum motum illum ad purpurae secretionem necessarium non solum sufflaminet, sed motum alium inducendo naturam in opere suo magis turbet, non sine aegrotantis periculo.

S. XXVI.

Ad promovendum autem eruptionis opus, & ut legitime deflorescat purpura, in progressu morbi D 2

⁽a) in dissert. de purp. puerp. p. 21.

terreis illis & absorbentibus, blandiora diaphoretica, seu potius alexipharmaca iungimus. Interstingui scilicet priorum usus essentiis alexipharmacis moderatioribus poterit, ex scordio v. g. pimpinella alba umbellifera, chaqueril. &c. sic ut singulis quatuor vel sex horis unum expraedictis medicamentis in largiore aquae commodae vehiculo assumatur. & hic rursus alexipharmaca & cardiaca calidiora omnia. Quod si enim, inquit THONERVS (a) natura delication ac modion & corporis habitus facile resolubilis, quid exin expectandum, quam delapsus in baras thrum sepulchrale, ob nimiam vim diaphoreticam dissipatis spiritibus vitalibus. Consentientem habemus SYDENHAMIVM, (b) ipsasque insuper cautelas circa horum usus observandas graviter describentem. Ignota sane mungos radix, non quod potenter sudorem movet, sed quod blande magis purpureum illud miasma expellit, laudem in hoc morbo sustinebit. Potius diluentia calida, v.g. Theae aut alius commodi infusi, aut decocti potus conveniunt, utpote quibus fluidior redditur humorum massa, & excretionis opus plurimum promovetur, cum ipsius febris symptomatumque remissione insigni.

S. XXVII.

Symptomatum autem cum ratio quoque simul habenda sit in morborum curationibus, urgentique succurrendum maxime, paucis quoque deillis

hic

⁽⁴⁾ lib, app. obs. 7. (6) p. 513.

hie agi oportet. Inter symptomata autem, quorum supra facta est mentio, praecipua erunt vomitus, tussis, aphtodea faucium inflammatio & epilepsia. Reliqua enim vix alia remedia, quam quae supra iam recensita a nobis sunt, exposcere videntur; nisi forsan pro arcendis vigiliis externum paregoricum praescriberevelis, quae tamen, primo sedato morbi impetu, utplurimum cessant. Ipso autem hoc morbi tempore interna paregorica vix tuto satis adhibentur: Suspecta nobis maxime est & in hoc, & in aliis similibus opiatorum pro conciliando fomno exhibitio. Rebellia autem magis symptomata, si instare pergant, post eruptionem papaverinis commode poterunt expugnari. Nec vomitus forsan tuto satis in principio statim supprimitur sistiturque. Vnde si idem modum non ex-cedat, ne immutanda quidem putem medicamenta, utpote cum ad ipsius etiam vomitus causas directa insimul haec quoque sint. Maior & ardua de vomitoriis ipsis hic quaestio. Similitamen ratione, qua in febribus malignis ipsisque variolis eadem, debito tempore & modo praescripta convenire, sic certa ratione & in nostro morbo praescripta, prodesse, plurimumque levaminis afferre posse, nulli omnino dubitamus.

g. XXVIII.

Quo autem epileptici insultus felicius avertantur, praestabitstatim in morbi principio antepileptica reliquis semper miscere; sic pulveribus supra dictis tinnabaris, ungul alcis, rad. & sem. poeon. uni-

cornu verum, item pulv. de guttet. Riv. Marchion. specif. cephal, bezoard. Angl. &c. addi poterunt. Mixturis autem & essentiisSpir. C C. liquor C. C. succin. &c. erunt iungenda. Vesicatoriorum usum celebrat magis Sydenham, & non vanam profecto in eiusmodi affectibus nobis opem praestitere; quali tamen circa eorundem usum opus sit cautela, optime docent acta Uratislaviensia. (a) In tussi praeterea huic morbo perpetuo fere iuncta, mucilaginosa & seri acrimoniam demulcentia, qualis vel maxime est syrup de althea Fern., becchicis palmam praeripiunt omnibus. Comiter quoque tractari desiderat aphthodea faucium in hoc morbo inflammatio: optime hic rursus faciunt mucilaginosa lenientia ex seminibus psyll. cydon. rad. alth. flor. famb. melilot. &c. paranda, quibus, si maior adsit inflammatio, aq. theriac. camph. & nitri modicum iungi poterit. Domesticum quidem, satistamen & in hoc, & in aliis affectibus multis salutare est remedium, quod ex vitello ovi, sacharo & aqua sambuci probe invicem agitatis & permixtis para-Ubiautem certius anginae periculum & maior faucium inflammatio timenda, nihil sacculis ex sambuco, croco & camphora utilius.

S. XXIX.

Quamprimum autem, morbo sic feliciter superato, eluctari aeger incipit, commodo evacuante opus

⁽a) ann. 1699. p. 44.

opus erit, tum ut recidiva praecaveatur, tum quoque ne relictae in corpore cruditates novum illi concilient morbum. Maiorem autem omnino remediorum apparatum accuratiusque diaetae regimen exposcit illa purpurae species, quae a scorbuto inducitur & recidivans redditur, ut facilius sane sit, Herculi clavam extorquere, quam rebellem eiusmodi purpuram omnesque scorbuticae salsuginis notas radicitus ex corpore evellere. Multum tamen ad morbi mitigandam atrociam confert, si insensibilis illa transpiratio per motus & exercitia corporis subinde magis promoveatur. Quae, uti ad salsuginem illam sanguinis auferendam plurimum valet, sic e contrario fortiores sudationes plus afferunt in commodi, ipsius etiam purpurae eruptionem promoventes. Eo quoque respiciendum erit, ut sanguis in debita crasi & motu detineatur, &, ne in orgasmum ascendat, sedulo magis cavendum; quod vel maxime impetratur, si eiusmodi homines a calidiorum & istorum, quae salium in corpore augent copiam, usu sibi temperent. Quantum praeterea ex alterantium classe diluentia aquea & mucilaginosa hic conferant, quamque necessariae in plethoricis anniversariae sint venaesectiones, & debito ordine repetitae scarificationes, scorbuti historia

(0) DD

ulterius evincit.

ABRVE

must entry connecession and aribitate to more with an e de religie id corpus cradicates non omining remedierum apparatum scentratinaque ciae refuncii expoleit illa puipinge foccier, quae in it was the recommend to the best of the the three of the state of the state of the lem einemodi burguram omnesque fromucae ights notes radicines or corpore evellere. Mulh tamen ad morbi murgandam errogam confert, ulculibrate that transportion per motus de exercicia ports, fillerade madis promovenus. Quae, nei Liftiginent illand fangulais auferendam plurmum ce (ie a contrario fortiores fudationes plus effset al commodi , iplins etam porpurae cruptionem tor wented the quaque refridendum out, ut guls in debira eraff & more defineatur, &, ne in gasmann aftendar, fedulo magis caven film; quod maxime imperatur, fi einsmodi homines a galidioil de illorum quae falium in corpore augent copiam. Libi temperent, Ouantum praeterenexalteranin chile diluenta aquea & mutilagingia hic conant, quamque necessariae in plechoricis anniverfariacing venaelectiones, & debito ordinerepetitae fearificationes, feorburi historia ulterius evincit.

(0) 3 (M)